

FRANCISCI PATRICII
PANCOSMIAS
LIBER NONUSDECIMUS
DE SOLE.

De Sole autem, quem cum Luna ab aliis seposueramus proxime, tam magno Summi Dei opificis instrumento et primario luminari, quid nobis dicendum? Hic mundi, ut refert Plinius, totius cor, et animus, et mens creditus est, et principale naturæ regimen, et numen. Hic reliquorum siderum rector, ea et occultat, et iterum revelat. Lucem eis aufert, et iterum restituit. Cœli tristitiam discutit, æris, humanæque mentis nubila serenat, Præclarus, eximius, omnia videns, omniaque exaudiens, ut principi literarum placuit Homero, quem Orpheus, πανδερκες ἔχων αἰώνιον ὄμμα, omnia cernentem habens æternum oculum, appellavit. Hic a plerisque, et veteris et novi mundi gentibus, pro sensibili Deo, pro maximo Deo, et habitus est et cultus, et habetur etiamnum et colitur a multis. Ab hoc enim ab ipsis reputato Deo omnia sibi beneficia, putarunt, et putant provenire. Ab eo plantas, animalia cuncta, hominesque produci crediderunt. Vitæ, alimentorum, accrementi, perfectionisque omnis authorem esse existimarunt. Hic a Platone, summi boni quasi proles, et sensibile simulacrum est appellatus. Et quas ille in intelligibili mundo, vices gerit, hunc dixit in mundo visibili vires habere asseruit. Et quomodo bonum, ad intellectum, et ad intelligibilia se se habet; sic Sol in visibili mundo se habet ad visum, et ad visibilia. Et sicut bonum, omnis intelligentiæ ibi causa est, et omnis veritatis. Sic et Sol in mundo hoc omnis visionis causa est, et omnis quæ per visum cognoscitur veritatis. Hunc tantorum, et tot operum effectorem, quis umquam pro dignitate, laudavit? Aut laudare queat? Aut quis umquam de eo scripsit, præter Iulianum Cæsarem. Quem solum, de Sole librum scripsisse comperio, secundum tamen ea, quæ de ipso *Phoenicum Theologia* tradiderat. Quo libro, et qua Theologia postquam caremus, tentandum nobis, si quid de tanto rerum sensibus subiectarum moderatore, ac benefactore, Physicis rationibus dicere possimus. Quid nimirum sit, et qualis, et quantus, et quo loco habitet, et quo motu agitur, et quid agat, et quid etiam pati queat. Sol igitur, qui claritate sua omnibus se prodit, eamque rebus omnibus communicat, quidnam est? Græcorum philosophorum, maior pars, satis simpliciter, ne dicam fatue, de eo sunt locuti. Anaximander namque cavam fornecem esse igne plenam affirmavit. Xenophanes, esse vel nubem accensam, vel igniculos, ab humido ascendentes, et in Solem coagmentatos. Anaxagoras, Democritus, Metrodorus ignitam esse petram docuerunt. Antipho, Hecataeus, et Diogenes, esse pumicem, ab æthereis, accensum radiis. Heraclitus, accensionem esse ex mari, quæ in Oriente accendatur, in Occidente extinguatur. Philolaus, duplicem esse lucem. Primam per se, et supra mundum, quæ, per vitreum aliquod, qui sit Sol, refrangatur, et per id ad nos lucem transmittat secundam. Vel Solem esse ignem in Cœlo, qui lumen, alium scilicet ignem ad nos transmittat, et esse tertiam luminis refractionem. Cum Philolao, videtur Empedocles, fere sensisse idem. Nam duos dixit esse Soles, alterum archetypum, alterum hunc quem cernimus archetypi imaginem. Anaximenes et Parmenides, esse quid igneum, Euripides ignem. Plato ex plurimo igne. Aristoteles ex quinta essentia Cœlesti. Zeno Stoicorum pater, et ipse ignem esse dixit. Stoici quidam, Heraclitum potius, quam authorem suum secuti, accensionem esse e mari illuc sublatam. Epicurus terrestre quid in, modum pumicis excavatum, rotundum, et ab igne ardens. Fornices, petras, pumices, vitra, nubes, e mari vapores, uti fatuas mittamus. Aristotelem, donec nobis dicat quid illa sua quinta essentia sit, missum faciamus. Reliquos ignes, igneos, ignitos amplectamur. Nam et cum re ipsa, et nobiscum consentiunt, et vetustissimo Zoroastri dogmati, assentiuntur, qui cecinit.

Ἐξ ἀνακρεμάσας ζώνας, ἑβδομον ἡελίου
Μεσεμβολήσας πῦρ.

“Sex suspendit Zonas. Septimu Solis.